



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1786

VD18 90119355

§. 43. Status Ecclesiæ in Galliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

Sæc. XVIII. chem, librum ꝑde diptichis veterum,
 A. C. 1739. Historiam confessionis Augustanæ, No-
 dum prædestinationis solutum, & de-
 mum Historiam Concilii Tridentini &c.

§. XLIII.

Status Ecclesie in Gallia.

Annus hic currentis Sæculi XVIII.
 annus quadragesimus funesta re-
 rum vicissitudine potentissimorum Orbis,
 Principum morte, & communi rerum
 inopia tam fatalis erat subsequenti-
 um malorum prodromus, ut ingeniosus
 quidam calamus illud Virgillii carmen
 heroid. l. 3. v. 138. jure adaptaret.

MiseranDaqVe, Venit
 arborlbVsqVe satisqVe LVes,aC
 Letlfer annVs.

Tum enim Italia summo luctu squa-
 lida, in Germania florentissimæ Pro-
 vincie annosi belli flammis absumptæ,
 cædibus & ruinis vastatæ, fame, fri-
 gore morbisque afflictæ, ac ipsa etiam
 Francia non modo extero bello impli-
 cita, sed intestinis adhuc dissidiis in
 propria viscera grassantibus scissa, &
 quod magnum insuper ad malorum
 cumulum pondus contulit, inde natus
 est Religionis contemptus, morum
 pravitas, dissolutus debitæ subordina-
 tionis

tionis nexus, & credendi libertas ab hoc potissimum anno in apertum erumpens, & sub sapidioris Philosophiæ, ac politioris styli illecebris intime instillata, & latius propagata. Hac lue præprimis infecti erant ex Gallis non pauci: qui eam Religionem atque Ecclesiam, quæ suis doctrinis eorum libertatem debellat, populo velut falsam atque erroneam exhibere, summis votis exoptabant, & omnibus viribus eo eniti adlaborabant: Et sane, perversis ejusmodi consiliis egregie præluserant aperta sua in supremum Ecclesiæ caput rebellionem, oppressa Episcoporum jurisdictione, & sibi arrogata auctoritate in res Sacras: Accesserat etiam ad vivam libertatis illecebram supremi Magistratus, petulantiam pene jubentis, auctoritas; quippe Jansenistæ & exin progeniti Libertini in supremi Pastoris, Præsulumque decisiones & decreta tam aperta prorsus impudentia insurgere, eos vilipendere, eorumque auctoritatem usquequaque deprimere, imo ipsa etiam Regum mandata eludere ausi non fuissent, nisi illos, quos suæ temeritatis iudices ac vindices timere debuissent, cum summo auctoritatis suæ abusu Sacræ ac Regiæ potestatis imperia prius aperta fronte elusisse, ac etiamnum eludere nossent:

post.

Sæc. XVIII.
A. C. 1729.

Sæc. VIII.
A.C. 1739.

postquam enim Parisiense Parlamen-
tum vel potius ex hoc ipso Senatu
non pauci sub vano conservandæ li-
bertatis Gallicanæ, pacisque publicæ
ac Regiæ incolumitatis prætextu in
Regum ac Præsulum decreta jus sibi
arrogaverant, insuper ad ipsa etiam
Ecclesiæ dogmata & Sacramentorum
dispensationem sacrilegas extenderunt
manus, reclamantibus ipsius Franciæ
Regibus, toto Episcoporum Ordine,
universa Ecclesia, imo ipso Christi Evan-
gelio. Quæ enim alia magis clara,
magisque certa est Evangelicæ legis
parærga, quam canibus sancta non esse
danda, margaritas ante porcos non esse
projiçendas &c. Episcopos, non laicos,
a Spiritu Sancto esse positos, ut rege-
rent Ecclesiam Dei, essentque fideles
dispensatores Mysteriorum Dei, & ta-
men, quis in sæculo adeo illuminato
unquam credidisset, quod, dum Fran-
ciæ Præsules ac Parochi illis, qui se
ob apertam & annosam, publicamque
ac notoriam rebellionem contra Eccle-
siæ universalis & Regni legem sese in-
dignos reddidere, Sacramenta jure
denegarunt, Parlamenta sibi cogno-
scendi ac decidendi an & in quibus
casibus Sacramenta sint vel non sint
administranda, auctoritatem non modo
arrogarent, sed etiam invitos Parochos
per

per satellites & bonorum privationem aliasque pœnas ad violandas leges Divinas & humanas compellerent. Enimvero contra tam horrendam Eucharistiæ profanationem, & tam enorme scandalum quamplurimi Franciæ Præsules reclamaverunt, atque anno priori in Episcopali Yprensi typographia epistolam ediderunt de gravi obligatione, qua Parochi illos, qui in seditiosa appellatione a Constitutione *Unigenitus* notorie inhærent suæ pertinaciæ immoriuntur, ac Missæ sacrificii oblatione, & Ecclesiæ suffragiis privare teneantur: Attamen eodem adhuc anno Parisiense Parlamentum hanc ipsam epistolam publice & per decretum Parisiis editum suppressere præsumpsit: Postquam igitur Franciæ Præsules Romam questum ibant, Clemens Papa die vigesima sexta Januarii iniquum Senatus decretum damnavit ac prohibuit, promulgata hanc in Rem sequenti Constitutione:

„Cum, sicut Nobis innotuit, in lucem prodierit quoddam folium Gallico idiomate impressum, cui titulus: „*sententia Curiae Parlamenti &c.* Hinc „est, quod Nos pro commissa Nobis „divinitus Gregis Dominici cura, Animarum periculis atque detrimentis, „quæ ex ejusdem folii lectione, & usu „pro-

Sæc. XVIII.

A.C. 1739.

Sæc. XVIII. „provenire possent, pastorali sollicitu-
 A. C. 1739. „dine, quantum cum Domino possu-
 „mus, occurrere volentes, Motu pro-
 „prio, ac ex certa scientia, & matura
 „deliberatione nostris, deque Apосто-
 „licæ potestatis plenitudine folium su-
 „prædictum tenore præsentium damna-
 „mus, & reprobamus, ac legi, & re-
 „tineri prohibemus, ipsiusque folii de-
 „scriptionem, retentionem, lectionem,
 „& usum omnibus, & singulis Christi
 „fidelibus etiam specifica, & indivi-
 „dua mentione, & expressione dignis
 „sub pœna Excommunicationis per-
 „contrafacientes ipso facto absque alia
 „declaratione incurrenda, a qua nemo
 „per quemquam, nisi per Nos seu Ro-
 „manum Pontificem pro tempore exi-
 „stentem, præterquam in mortis ar-
 „ticulo constitutus, possit absolvi, om-
 „nino interdicimus. Volentes & au-
 „thoritate prædicta mandantes, ut qui-
 „cumque folium hujusmodi penes se
 „habuerint, vel in futurum quando-
 „cumque habebunt, illum statim, at-
 „que præsentibus Literæ eis innotuerint,
 „locorum Ordinariis, vel hæreticæ præ-
 „vinitatis Inquisitionibus tradere & con-
 „signare teneantur; hi vero folia sibi
 „sic tradita illico flammis aboleri cu-
 „rent. „

Hac tamen Apostolica censura Par-
lamentum adeo non absterrebatur, ut
etiam die prima Septembris hoc anno
aliud ederet decretum, quo prohibuit,
ne quiscunque scriptum publici juris
faceret, per quod demonstraretur, in-
terpositæ contra præfatam Constitutio-
nem appellationi pertinacius insisten-
tibus, & in hac contumacia deceden-
tibus jure Sacramenta & Ecclesiasticam
sepulturam denegari: Impio hoc de-
creto, & nova hac in jura Sanctuarii
usurpatione vehementer offendebatur
Regis Christianissimi pietas ac Religio;
quocirca mox sexto post die ex Regio
Status Consilio decretum promulgari
jussit, in quo Rex facta prius statuti a
Parlamento editi relatione mentem ac
indignationem suam his verbis expres-
sit. „Si Magistratus obligantur ad re-
„trahendum cursum Librorum vel Sche-
„diasmatum, ex quibus commoveri
„mentes, & tranquillitas publica tur-
„bari possit, non tamen iis licet, lon-
„gus progredi, & egredi limites suæ
„potestatis, hanc extendendo atque
„exercendo in materias pure spiritua-
„les, quales sunt præscriptæ ab Ec-
„clesia Regulæ observandæ in admini-
„stratione Sacramentorum, & pro di-
„cretione dispositionum, quæ necessa-
„rio requiruntur ad illorum receptio-
nem.

Sæc. XVIII.
A. C. 1740.

Sæc. XVIII. „nem. Eam tamen limitum trans-
 A. C. 1740. gressionem sua Majestas non sine di-
 „splicentia observavit factam in Decreto
 „quo manifeste decernitur, recusatio-
 „nem Sacramentorum esse injustam in
 „casu per Decretum explicato; cum
 „ibi expresse prohibeatur fieri ullum
 „scriptum vel Actum pro approbatione
 „ejusmodi recusationis, quasi Tribunal
 „Sæculare posset imponere legem Mi-
 „nistris Ecclesiæ in re concernente di-
 „spensationem rerum Sanctarum, hoc
 „est, in re maxime essentialiter annexa
 „potestati, quam habent ab ipsomet
 „Deo. Accedit; quod termini in De-
 „creto expressi, ubi sermo est de ap-
 „pellatione a Constitutione *Unigeniti*
 „ad futurum Concilium, videantur
 „supponere, quin etiam innuere, ap-
 „pellationem, quam Rex Annõ 1720.
 „declaravit nullius esse effectus de
 „præterito, quamque absolute inter-
 „dixit in futurum, posse adhuc habere
 „suas vires ad constituendos in securi-
 „tate eos, qui ex hoc fundamento in
 „sua seditiosa obstinatione persistent
 „contra decisionem solenniter acceptam
 „tam ab Episcopis regni, receptam a
 „tota Ecclesia, munitam patentibus
 „litteris, relatum in Acta omnium Par-
 „lamentorum & firmatam toties con-
 „currente authoritate regia &c. Deit
 „sua

„sua Majestas mandat, ut dicta dispo- Sæc. XVIII.
 „silio Parlamentaris Decreti, habeatur A. C. 1740.
 „pro nulla ac si non emanasset; &
 „prohibet, eam mandari executioni,
 „nullamque vi illius ferri sententiam,
 „idque sub pœna nullitatis.„

§. XLIV.

*Montpessulani Episcopi Zelus contra
Jansenistas.*

Porro Georgius Lazarus Berger de
 Charency, qui Carolo Colberto de
 Croyssy in Montpessulano Episcopatu
 successerat, extremos adhibuit cona-
 tus, ut Ecclesiam suam per prava
 Prædecessoris sui dogmata & exempla
 Jansenianis erroribus turpiter fædatam
 purgaret. Eo fine anni prioris die se-
 ptima Martii decretum promulgari jus-
 sit, quo omnibus & singulis injunctum,
 ut Alexandri VII. P. formulæ subscribe-
 rent. Paruere potissimi, nihilominus ta-
 men alii pro indomito suo ingenio ac jugi
 impatiente animo palam obfistebant,
 atque inter alios Villebrunius Mont-
 pessulanæ Urbis ad S. Annam Parochus
 Episcopi decretum, uti jussus erat,
 promulgare renuit; unde propter per-
 vicaciam suam in Ecclesiastico foro
 causam suam dicere compulsus est:
 hic vero ad Parisinæ Curiaë Advocatos

R r a

con-